

dicat Antiphonam *Trium puerorum* cum *Alleluia* etc. pro gratiarum actione. Clerici inde extinguant candelas Altaris et Cereum, arundinem vero extinctis candelis totaliter amoveant. Si qui post Missam sacram Eucharistiam recipere velint, hoc licere S. Rit. C. pluries declaravit, immo et posse paschali praecepto satisfieri, si Ecclesia parochialis sit. Hodie aliae Missae prohibita sunt praeter unicam solemnem.

## CAPUT VII.

## DE PASCHA ET TEMPORE PASCHALI.

§ I. — *De Pascha et eius Octava.*

1464. Pascha Resurrectionis D. N. I. C., dies quam fecit Dominus, vocata a Patribus nobilitas anni, mensium lux, alma dierum, celebratur ritu totaliter proprio; uti in Breviario et Missali aliisque libris liturgicis indicatur; perpauca de hac solemnitate adnotare iuvabit.

1465. In Officio huius diei et per Octavam non dicuntur Capitula, Hymni, nec ad Horas minores et Completorium Responsorialia brevia: sed eorum loco dicitur ad singulas Horas Officii Antiphona: *Haec dies, quam fecit Dominus* etc., quae intonari debet ab Hebdomadario et ab omnibus proseguenda est stantibus et capite detecto. In fine Laudum et Vesperarum ad *Benedicamus Domino*, per totam Octavam, seu usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, Octava enim

terminatur post Nonam, duo adduntur *Alleluia* et sic ad *Deo gratias*. Dominica ipsa Resurrectionis, ad Primam, Lector Martyrologii antequam pronunciet *Calendas*, tono vocis elevato et solemniter annuntiat paschalem Solemnitatem dicens: *Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas* etc. uti habetur in principio Martyrologii; interea omnes in Choro stabunt detecto capite. Lector hinc breviter pausabit, donec omnes sedeant, inde proseguetur, more solito pronuncians *Calendas* etc.

1466. Ante Missam solemnem seu conventualem, ab ipsomet Celebrante fiat aspersio, sed si in Ecclesia hesternam die benedictus sit Fons baptismalis, facienda est ex aqua ab ipso extracta ante Oleorum infusionem: cantabitur autem, aut alta voce dicetur, praeintonante Celebrante: *Vidi aquam* etc. et ad versiculum *Ostende nobis* etc. ac relativum Responsorium addetur *Alleluia*: quod servabitur singulis Dominicis usque ad Pentecosten inclusive. Ante eandem Missam (et non ad Evangelium, uti erronee fit in aliquibus locis) accendatur Cereus et extinguatur peracta totaliter Missa: et accendatur pariter ad Vesperas, si solemniter dicantur. Erit autem accendendus Cereus aequaliter Feria secunda et tertia sequenti: Sabbato et Dominica in Albis: Dominicis usque ad Ascensionem, et in omnibus festis solemnioribus; quoad alia festa occurrentia infra id tempus, servari poterit locorum consuetudo.

1467. Die solemniter Paschae prohibitum est in Ecclesiis Regularium, nisi sint paroeciales, Eucharistiam non subditis administrare, etiamsi communicare vellent devotionis causa. Romae prohibitum est etiam Feria V

in Coena Domini. Toto autem tempore paschali, dum Eucharistia ministratur extra Missam addatur *Alleluia* Antiphonae *O sacrum Convivium* et Versiculo *Panem de coelo* ac respectivo Responsorio<sup>1</sup>. Si eodem tempore paschali administrandum sit SS. Eucharistiae Sacramentum ante vel post Missam de Requie, *Alleluia* neque Antiphonae neque Versiculo est addendum<sup>2</sup>. In administratione autem SS. Viatici standum est Rituali Romano et nihil immutandum ratione temporis paschalis.

1468. Octava Paschae est privilegiata primi ordinis, hinc infra ipsam non fit de aliquo festo quamvis principali, nec de Patrono civitatis, nec de Titulari, nec de Dedicatione Ecclesiae, sed transferuntur post Octavam. Primo Triduo nulla fit Commemoratio sive in Officio, sive in Missa; a Feria autem quarta usque ad Sabbatum fit Commemoratio in Officio et Missa simplicium sive per se, sive per accidens, non legitur autem eorum lectio historica ad Matutinum. Verum si Feria IV incidat festum simplex sive per se, sive per accidens, facienda est de ipso Commemoratio in Vesperis Feriae III praecedentis<sup>3</sup>. In Missis non dicitur tertia Oratio, nisi duae essent faciendae Commemorationes; si nulla autem Commemoratio occurrat, secunda Oratio erit *Ecclesiae* vel pro Papa: dicitur tamen Oratio imperata ab Ordinario.

1469. Die solempni Paschae prohibetur Missa Defunctorum etiam praesente corpore, et votiva quae

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Jun. 1883, in una Cuneen. ad XI.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 26 Novemb. 1878, in una Senen.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 28 Mart. 1775, in una Urbis, ad 4.

cumque. Solempnis Defunctorum praesente cadavere permittitur diebus omnibus infra Octavam, etiam Feria secunda et tertia: votiva vero solempnis pro re gravi vel publica Ecclesiae causa tantummodo a Feria quarta ad Sabbatum inclusive, et in ipsa ad *Ite Missa est* non additur *Alleluia*<sup>1</sup>.

§ II. — De variandis in Officio et Missa tempore paschali.

1470. Tempore paschali Officium de Dominica et Feria ordinandum est, uti notatur in Proprio de Tempore, Sabbato et Dominica in Albis ac Feria secunda sequenti. In Officio Dominicae ad Primam non dicitur Psalm. *Confitemini*, at vero Symbolum *Quicumque*. Officium Apostolorum et Martyrum habetur proprium: in caeteris Officiis, nempe Confessorum, Virginum, non Virginum, Dedicationis, et in festo B. M. V., Angelorum, et in Officiis votivis, ad Invitatorium, ad Antiphonas, Versiculos et Responsoria, ad Responsoria post Lectiones (non ad Versiculos) unum additur *Alleluia*; Responsoriis brevibus ad Horas et Completorium adduntur duo. Hoc autem fit ubi *Alleluia* iam non adest, tunc enim novum non additur. Nocturni dicuntur singuli sub unica Antiphona, excepto Officio Ascensionis Domini et eius Octavae. Non adduntur tamen *Alleluia* in Officio parvo B. M. V., in Officio Defunctorum, nec in Versiculis et Responsoriis Precum, nec in Versiculo *Domine exaudi orationem meam*.

<sup>1</sup> Merati, p. 4, t. II, n. 6 et 9.

1471. Usque ad Nonam Vigiliae Ascensionis D. N. I. C. inclusive, conclusio Hymnorum, dummodo sint eiusdem metri, nec propriam habeant, erit: *Deo Patri sit gloria, et Filio qui a mortuis . . . . . in sempiterna saecula*; et Versiculus in Responsorio brevi ad Primam: *Qui surrexisti a mortuis*, nisi proprius adsit. Eodem tempore in Officio non dicuntur Commemorationes communes seu Suffragia, sed quando Officium non est duplex, nec infra aliquam Octavam, fit simpliciter Commemoratio Crucis, uti habetur in Psalterio post Vesperas Sabbati, et Feria secunda post Dominicam in Albis in Proprio de Tempore: Preces vero ad Primam et Completorium dicuntur.

1472. In Missis ad Introitum, ubi non sunt, adduntur duo *Alleluia*: solis Missis Defunctorum exceptis. Quando non fit de festo duplici, a Feria secunda post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, secunda Oratio erit *Concede*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, nisi sit facienda aliqua Commemoratio, et tunc *Concede* erit tertia, si locum habeat. Post Epistolam a Sabbato in Albis usque ad Octavam Pentecostes, tam in Officiis de Tempore quam de Sanctis et etiam in Missis votivis, non dicitur Graduale, sed eius loco dicuntur duo *Alleluia*, et postea duo Versiculi, ad singulos addendo unum *Alleluia*: si vero Missa non habeat duos Versiculos proprios, erunt sumendi e respectivo Communi: si in Missa dicenda sit Sequentia, non dicitur *Alleluia* post secundum Versiculum, sed post Sequentiam. Excipiuntur ab hac lege Missae Rogationum, et Vigiliae Pentecostes, in quibus unicum dicitur *Alleluia* cum unico Versu: et Sabbatum Quatuor Temporum post Penteco-

sten, in quo pariter unum *Alleluia* et unicus Versiculus dicitur post singulas Lectiones. Item additur unum *Alleluia* Offertorio et Communioni, ubi non habetur; Praefatio usque ad Ascensionem erit paschalis, nisi Missa habeat propriam.

§ III. — De processionibus maiorum minorumque Litaniarum.

1473. Processio Litaniarum maiorum celebranda est die XXV Aprilis, nisi in illum diem incidat Pascha, et tunc transfertur ad Feriam III sequentem: Litaniarum vero minorum Feriis II, III, et IV post Dominicam V a Pascha celebratur. Hisce processionibus Regulares interesse tenentur solummodo apud Ecclesias ab Episcopo designatas: facere autem in Ecclesiis propriis nullo modo tenentur; liberè tamen possunt, dummodo vel intra septa conventus faciant, vel intra ambitum dumtaxat Ecclesiae, hoc est prope muros Ecclesiae, et non extra ambitum, nisi de licentia aut consensu Episcopi. Si autem fiant, erunt ordinandae sequenti modo.

1474. Celebrans indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali violaceo: vel tantum superpelliceo et Stola violacea (si Missam post processionem ipse non celebret), praecedentibus Acolythis cum candelabris et candelis accensis, aliis Clericis comitantibus et tenentibus fimbrias Pluvialis, procedit ad Altare maius et ipsum violaceo colore ornatum, ubi facta ab omnibus genuflexione, a Celebrante vero profunda inclinatione, si Sacramentum non adsit, omnes in genua pro-

cumbunt et aliquantulum orant. Celebrante surgente, omnes pariter surgunt, et statim vel a duobus Cantoribus, vel ab ipso Celebrante intonatur Antiphona *Exurge Domine* etc., quam omnes prosequuntur alta voce, (seu cantando) prouti habetur in Rituali Romano, sine *Alleluia*: qua repetita, omnes genuflectunt, et duo Cantores vel Celebrans cum Clericis incipiunt Litanias prout exstant in Breviario et Rituali, et respondebunt omnes repetentes integros versus ut a Cantoribus praecinuntur: integre enim Litanias in processione repetendas esse pluries declaratum est <sup>1</sup>.

1475. Cantato et repetito Versiculo *Sancta Maria, ora pro nobis*, omnes surgunt et ordinatur processio. Praecedit Crucifer inter Ceroferarios, subsequuntur Religiosi bini per ordinem, facta Altari genuflexione, ultimo loco Celebrans inter duos Clericos, et ante ipsum duo Cantores incedunt Litanias clara et alta voce prosequentes a Versiculo *Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis*. Percorso ambitu designato, processio revertitur in Ecclesiam; ad gradus maioris Altaris omnes genuflectent, praeter Cruciferum et Ceroferarios, et singuli vel se disponent lateraliter in Presbyterio vel ad sua subsellia in Choro: cum autem ad Altare pervenerit Celebrans, omnes in genua procumbent, et Litaniae a Cantoribus absolventur, si expletae non essent. Cantores, aut Celebrans cum suis Clericis respective Psalmum *Deus in adiutorium meum* alternatim decantabunt. Quo expleto, Celebrans adhuc genuflexus preces alta voce recitabit, et ad *Dominus vobiscum* surget ac Orationes pronuntiabit eadem voce.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 16 Sept. 1865, in una S. Iacobi de Cuba.

1476. Absolutis Orationibus, Celebrans ad credentiam deponit Pluviale et assumit Manipulum et Planetam eiusdem coloris, et more solito procedit ad Altare, et Missam celebrat de Rogationibus, uti habetur Fer. II post Dominicam V a Pascha, absque *Gloria* et *Credo* cum tribus Orationibus, quarum secunda *Concede*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, absque ulla Commemoratione festi currentis. Praefatio paschalis, in fine *Benedicamus Domino*; Evangelium S. Ioannis. Cereus paschalis non accenditur, nisi inveterata adsit consuetudo. Missa Rogationum, ubi fit processio, omnino dicenda est.

1477. Rogationum nulla fit Commemoratio, neque in Officio neque in Missa festi currentis, die XXV Aprilis, seu Litaniarum maiorum. Attamen si alicubi una tantum habeatur Missa et processio facienda sit, Missa erit de Rogationibus, et secunda Oratio de festo currenti <sup>1</sup>. Si vero festum esset duplex I cl., Missa dicenda erit de festo cum Commemoratione Rogationum sub unica conclusione <sup>2</sup>. Feria secunda Litaniarum minorum fit Commemoratio in Officio cum IX Lectione Homiliae, et in Missis cum Evangelio Ferae in fine; Feria III nihil in Officio, sed Oratio Rogationum in Missis; Feria autem IV fiet in Officio et Missa Comm. Vigil. iuxta Rubricas communes, et in Missis tertia Oratio erit Rogationum: si autem fiet processio, nihil unquam erit de Rogationibus in Missa conventuali.

1478. Litaniae citatis diebus sunt de praecepto, ideo in Choro dicendae sunt, ubi processio non fiat, tamquam Officii pars. Dicuntur autem iuxta consuetu-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 23 Maii 1846, ad 2.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 27 Febr. 1847.

dinem nostram ante Primam. Si vero dicantur post Matutinum, iunguntur immediate dicto *Benedicamus Domino*, nec dicitur *Fidelium animae*. Antiphona finalis autem non dicitur post Litanias. Idem fiat, si iungantur cum aliqua alia Hora. Qui Choro non intersunt, si tenentur ad Officium, tenentur etiam ad Litanias, quae neque in communi, neque in privato anticipari possunt in sero diei praecedentis; nec, extra processionem, duplicantur <sup>1</sup>.

1479. Adveniente processione ab alia Ecclesia in nostram, a parte dextera ingressus stat Sacerdos superpelliceo indutus, absque Stola <sup>2</sup>, secum habens Clericum cum vasculo aquae benedictae, et aspergillo aspergit omnes ingredientes, Celebranti autem aquam impertit per aspersorii contactum <sup>3</sup>, tinctum porrigat singulis a dextra ingredientibus, qui sumptam aquam offerent socio ad laevam existenti.

§ IV. — *Ab Ascensione ad Octavam Pentecostes.*

1480. Quoad Ascensionem D. N. I. C. simpliciter adnotandum est, quod in Missa conventuali, quae cum solemnitate celebranda est, cantato aut lecto Evangelio, statim a Clerico extinguendus est Cereus; hucusque enim erat figura Christi conversantis cum discipulis post Resurrectionem, sed nunc lectum est: *Et postquam locutus est eis, assumptus est in coelum*. Post Missam tol-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 Martii 1775, in una Urbis ad 16: 7 Maii 1853, in una Congreg. SS. Redemptoris.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 22 Aug. 1818.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 Sept. 1699, in Taurinen.

latur a candelabro et in Sacristiam deferatur, asservandum pro benedictione Fontis in Vigilia Pentecostes, si facienda alicubi sit, alias reponatur. Sacrista auferet et candelabrum.

1481. Feria VI post Octavam Ascensionis, nisi occurrat festum novem Lectionum, fit Officium ut in Dominica infra Octavam, exceptis propriis, ritu semiduplici: non fit Commemoratio Crucis. Missa dicitur de Dominica sine Commemoratione Octavae, cum *Gloria*, secunda Oratio *Concede*, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, sine *Credo*: si vero occurrat festum novem Lectionum, in ipso fiet Commemoratio Feriae in Laudibus, Missa et Vesperis, nisi festum sit primae classis. Praefatio erit de Ascensione, nisi festum habeat propriam, *Communicantes* communis.

1482. Sabbato, Vigilia Pentecostes, quae est privilegiata, Officium fit de eadem Dominica, exceptis propriis, excluso quocumque festo etiam primae classis; de simplici, sine per se, sive per accidens, fit Commemoratio in Officio sine nona Lectione historica, nihil autem absolute in Missa quae habetur propria, et in qua unica dicitur Oratio. Dicta Nona, Sacerdos cum Ministris (si adsint), induti paramentis violaceis, nempe Celebrans Manipulo, Stola et Planeta, Diaconus Manipulo et Stola, Subdiaconus Manipulo, tecto capite, manibus iunctis, praecedentibus Clericis item iunctis manibus, nullo dato tintinnabuli signo, accedunt ad Altare, quod pallio violaceo rubro superposito, et sex candelabris cum candelis extinctis paratum erit. Facta ab omnibus Altari debita reverentia, ad ipsum ascendunt. Celebrans

Altare osculatur in medio, omnes inde procedunt in cornu Epistolae, se disponentes ut ad Introitum Missae solemnis: et statim, uti in Sabbato sancto, leguntur Prophe-  
tiae in Missali indicatae cum Versiculis et Orationibus, ante quas non dicitur *Flectamus genua*. Dieta sexta Ora-  
tione, fit benedictio Fontis, si habeatur; dicuntur Litaniae Sanctorum et caetera ut in Sabbato sancto. Missa so-  
lemnis, si cum cantu et Ministris celebrari non possit, sal-  
tem celebretur cum incensationibus. In ipsa non dicitur Introitus, sed dicto Psalmo *Iudica* et facta Confessione, incipitur a *Kyrie* statim post Litanias; ad *Gloria* pul-  
santur campana et tintinnabula; ad Evangelium non de-  
feruntur luminaria; non dicitur *Credo*; Praefatio, *Com-  
municantes*, et *Hanc igitur* (etiam in Missis privatis) propria; dicitur *Agnus Dei*, et datur pax. In Missis pri-  
vatis, Introitus *Cum sanctificatus*, uti in Missali notatur.

1483. Festum Pentecostes ex praecipuis est. Habet Octavam privilegiatam primi ordinis, ut Pascha Resur-  
rectionis. Ad primam stropham Hymni *Veni Creator*, qui dicitur quotidie etiam ad Tertiam, omnes in Choro genua flectunt, conclusio ipsius et aliorum eiusdem me-  
tri per totam Octavam erit: *Deo Patri sit gloria, et Filio qui a mortuis. . . in saeculorum saecula, et non in sempiterna saecula*. Octava Pentecostes clauditur ad Nonam Sabbati; et cessat tunc tempus paschale.

## CAPUT VIII.

## DE SOLEMNI FESTO CORPORIS CHRISTI.

1484. Pro festo SS. Corporis Christi decenter or-  
netur Ecclesia; et Altare, in quo est exponenda SS<sup>ma</sup> Eucharistia, paretur festivo apparatu et suppellectili, et praesertim non desit copia candelarum, quae ardeant, iuxta instructionem Clementis PP. XI. Sacrae autem imagines seu Reliquiae Sanctorum super Altare non collocentur; floribus vero ornetur idem Altare.

1485. Regulares tenentur ad solempnem processionem convenire sub propria Cruce, si ab Ordinario loci mandatum fuerit. Incedunt bini per ordinem cum candelis accensis, quas extinguunt tantum post impertitam benedictionem cum SS. Sacramento<sup>1</sup>.

1486. Possunt Regulares, per Octavam Corporis Christi, publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, absque licentia Ordinarii<sup>2</sup>, sive ad Missam conventua-  
lem, sive ad Officium: et in hoc servetur usus cuius-  
cumque Ecclesiae vel Provinciae.

1487. Optimum erit tamen, saltem ante Missam con-  
ventualem, seu ante Tertiam, peragere expositionem SS. Sacramenti, et ad Matutinum cum Laudibus, quod iuxta nostram consuetudinem anticipatur in sero, ut Fi-  
deles lucrari possint Indulgentias a Summis Pontificibus concessas iis, qui divinis intersunt Officiis infra Octavam

<sup>1</sup> Caerem. Episc. l. II, c. XXIII, n. 29.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 20 April. 1641.